quievit Illuminatus suspicari, et Ducem rogavit ut causam suam apud gubernatorem redderet. quemadmodum nobis et stipulata manu toto etiam pectore amplexato ter quaterque Illuminato promisit.

Accepit interim Celiuagus Lynceorum literas et mox per eundem peditem respondit Illuminato ut quamprimum visis literis ad ipsum veloci itinere pergeret, ostendit has literas parenti Illuminatus quibus ita commotus ut veniam ad Celiuagum discedendi dederit, Convocatus tamen prius ab avunculo a parente utroque a singulis ??? repetitum hoc fuit diverbium Ex fructibus eorum cognoscetis eos, Si tu bonus es quemadmodum nobis persuadere laboras vide hoc unicum agas ut revertatur ad nos Celiuagus id si egeris omnia recta tutaque erunt, sin secus egeris nulla tibi excusatio admittetur. Sciebat Illuminatus Celiuago mox revertendi animum esse pollicitus est igitur eius reditum quamprimum, petijtque ut Eclipsatum itineris socium darent, Sic egerunt ascenditque sex equorum currum cum Eclipsato Illuminatus, Romamque quem non viderat Celiuagum accessit qui hilari vultu receptis Lynceis, itineris peractos enarravit labores et quanta pluvijs hospitiorumque varietate passus fuerat. Ab initio vero in cubiculo cecinere canticum Te deum laudamus flexis in coelum manibus et utroque flexo in terram poplite ex toto corde aeterno gratias agentes Deo quod post tanta incommoda, post tot iniurias trium simul Lynceorum adunationem concessisset, Post collocutiones omnes Lyncei postularunt a principe dissolutionem ligationis et supplices hoc petierunt, cum unusquisque praediceret et praevideret ferventem consanguineorum in eos iram atque ideo in Lyncealitate hac standum esse dissolvendamque academiam cum terribile in tota urbe ex insolenti aulicorum fama nacta fuerit nomen neque esset quidquam quem non male audiret. Profecto mira res et maxime etiam pietates interdum vitiosorum hominum nequitia virulentissimam foedissimamque patiuntur famam, omni vitio experti a hominum fraudibus et dolo ita nonnunquam obscurantur ut vitium ipsummet appareant, tamquam huius mundi res omnes involutae malorum hominum tenebris, ut si mali non essent scientia rerum omnium quae in mundo sunt aut fuerunt clarissima veritas nobis appareret, non esset scibile quod unicuique cognitum non esset, malitiae quippe et mendacij consuetudo obscuritatis et ignorantiae parens. Quis hic Lynceorum purum ad scientias digrediendas animum intelligeret bonitatem rectitudinemque animorum agnosceret, quae ita malorum hominum fucata et ementita mendacijs. Sed post invidiam, in mortis opprobrio recta primum fama vigere incipit.

subditos turbatos pacavit et ab obedientia rebelles. subditos regnis ??? nacau